

ET MENSURIS.

phoro, quod ut sola biberet, ante pedes ser-
uabat, alterum Sextarium duceret. Vnde
ostenditur haud quaquam tantæ mensuræ
Sextarium fuisse, alioquin bibacissima fui-
set existimanda, quæ uel duos Sextarios in
tegro prandio sorbillaret. His igitur rationi-
bus arbitror Isidori sententiam ueram non
esse. Quid ergo censendum? ipse mensuras
siue humidorum, siue arentiū, eiusdem pon-
deris non esse, & apud Nicandri interpre-
tem, & apud Palæmonē legi. Quapropter,
si uasculum, quod Sextarium tritici capiat,
pondusq; unciarum sedecim habeat, quis
aqua uel uino impleuerit, uiginti fere unci-
as efficiet, grauius enim est uīnum seu aqua
nō solum tritico, sed etiam oleo. Mel quoq;
ut pote grauissimum, pondere a cæteris dif-
fert, ita ut in duabus quibusq; Libris Selī-
bra supersit, si conferatur oliuo. Cum ergo
in pondere mensuræ huiusmodi differant,
arbitror ueteres in commune constituisse,
ut Vnciarum quindecim esset Sextarius, ut
quod uas leuissimi tritici Vncias quinde-
cim contineret, Sextarius esset. Sic de aqua,
oleo, melle, cæterisq;, siue aridis siue humen-
tibus. Nā & huius ponderis, ut infra osten-
dam, fuit etiam Græcorum ἔστις, sic opinor
a Sextario nostro dictus. Hæc enim uox

A. iiii

*Nota
sententia.*